

CAPUT XXXIII.

Cinnabaris Mineralis præparatæ usum in affectibus insimi ventris adducit.

IN cholera humida, cardialgia, singultu, vomitu & appetitu nimio, præmissis præmittendis, maximum solatium adfert Cinnabaris nativa, si cum pulvere bezoardico, oculis \textcircled{S} . coralliis rubris, matre perlarum præp. oleo caryophyllorum & uno atque altero grano laudani opati permisceatur, & ita pulvis præcipitans paretur.

In affectu hypochondriaco & scorbutico à sero falso & acri, Cinnabaris nativa, ob \ddag ur suum blandum, suave, mitte ac anodynum, virtutemque humores demulcendi eorumque acrimoniam mitigandi, sanguinemque ipsum depurandi, multis aliis remediiis palmam præripit.

In affectibus hepatis Cinnabaris nativa comprehenditur proficua; & dolor hypochondriorum contumax cum lichenibus toto corpore se exserentibus, hâc potissimum sola feliciter curatur.

In intestinorum etiam affectibus, ut colica, ileo, diarrhœis & dysenteriis, ut & in haemorrhoidibus, valde dolentibus vel aliter affectis non minorem usum Cinnabaris nativa habet, cum \ddag ur suave atque temperatum obtineat, partibus membranosis sit admodum amica, tensionem ac vellicationem omnem membranosi generis tollat, humorum acorem & acrimoniam absorbeat & præcipitet, si potissimum etiam cum aliis medicamentis carminativis & anodynisi, bezoarticis antidyentericis, &c. exhibeat.

Sic

Sic observavimus etiam s̄epius, pulveres præcipitantes, v. gr. vel ex solis conchis, coralliis rubris, oculis ♂. præparatis cum Cinnabari nativa, item pulverem absorbentem, jam dictum excitasse appetitum insigni & notabili cum juvamine.

Præcipitantia enim talia per accidens restringendo quasi & in ordinem redigendo præcipue acidum excedentem in ventriculo humorem, quandoque possunt appetitum cicer & reducere; neque enim fermentum ventriculi legitimè habet, si excessivè sit acidum.

Vermes necat Cinnabaris nativa, licet non expellat semper; undè, licet minus concinnè, quidam eò progrediuntur, ut Cinnabarini ♂nii, si qua virtus epileptica in ea sit, nonnisi in sympathica epilepsia, à vermisbus oriunda, prodeesse afferant.

Cinnabaris nativa, quatenus est optimum nervinum, in calculo prodest. Optimum nervinum est, cum naturam & nervos roboret. Hinc Excell. Wedelius de medicam. facult. lib. I. sect. 3. cap. 9. & lib. 2. sect. 2. cap. 10. in nephritide & calculo renum eam convenire dicit. Si enim dolor admodum urgeat, vigiliæque hinc & deniq; forsitan lipothymia oriantur, temperatiora lithontriptica, nec non nervina, demulcentia & anodyna sunt adhibenda, ut dolore sedato, natura longè magis roborata eò valentius insurgere possit. Sic pulvis ex oculis ♂. Cinnabari minerali & laudano opiatō constans ab Excell. Dan. Ludovici Pharmac. differt. I. pag. 449. commendatus, crebriori Medicorum experientiâ longè optimus est; cui resolventia alia ex spermate ceti, Θ le volatili succini aliisque interduim utiliter miscentur.

Uterina, sive hysterica inter alia respiciunt etiam
ner-

nervosum genus & ipsam uteri substantiam membranosa & nervis maximè irrigatam, quæ insignem consensum cum capite habet: talia sunt nervina omnia & cephalica dicta, ꝑre balsamico volatili pollutia, spirituosa, suavia, ut melissa, salvia, rosmarinus, lavendula, &c. castoreum, succinum, utraque Θ le volatili oleoso fœta, &c. ac præ omnibus aliis Cinnabarina. Sic experientiâ practicâ constat, Cinnabarina nativam *Ungaricam* maximè solari adfectus hystericos, & motus uteri convulsivos; hinc dici potest optimum uterimum; membranosa enim & nervosa uteri substantiam irritatam valdè placat. Et ob absorbendi & humorum acrimoniam mitigandi virtutem, medicamentum sine pari in epilepsia hysterica est. Ita pulvis absorbens, cuius compositione Cinnabaris nativa ingreditur, in hysteris affectibus est utilissimus. Ex quibus hunc colligimus canonem medico-practicum: omnia cephalica sunt quoque uterina; sive in specie: omnes herbæ cephalicæ etiam uterum respi ciunt, & vice versa. In quo sensu potissimum hic canon, ob societatem substantiarum, & convenientiam ac analogiam partium nervosarum valet.

Fœtum pellit Cinnabaris nativa, quatenus mitigat, & nervosum genus solatur, cuius irritatio dolorifica sèpè difficiiliorem partum reddit. Cinnabaris etiam, tanquam uterinum confortans, foetus exitum accelerat. Confer. *Chr. Langii Miscellan. Curios. tit. 32. pag. 97.*

& seq.